Verum, quid tandem magnum illum Epicuri interpretem, Virum neque ingenii defectus, neque vitæ (quantum ego intellexi,) morumque sequius unquam notatum, in hæc pellexit cogitata? Postquam à consiliis ejus domesticis prorsus alienus sum, dicam quid libellus offerre mihi videatur. Duæ sunt scientiæ de quibus lis constituitur; Altera Physica, Metaphysica altera; (quas inter mediæ Animastica & Moralis suas sedes occupant.) Hæc, paucis experimentis contenta, Veritates vi demonstrationis arripit, figitque ea vi quæ sola inerrans est, Intellectus sc. nostri spiritalis numine. Hæc sola virtus contradictionis robur inspicit, & unice